

gustum; prout à me superius in secunda Epistola, denarratum.

3. Utrum si offeratur æger ex lotionem frigidâ attonitus & convulsus, die 3. 4. exhibendum purgatorium vel bezoarticum, hac utendum distinctione arbitraret, si ex lotionem frigidâ illa symptomata causata, quin statim ab initio fomenta calida adhibenda, & bezoartica porrigenda, ad calorem revocandum & malignitatem discutiendam, ut eò citius Natura se recolligere valeat, nec cunctandum in 3. 4. diem in morbo aliàs præcipiti, ubi longior mora est letifera: si verò patiens vires jam recipit, & artificiosa adsit conjectura, in tali subiecto residere cacochymiam,

quin convenienti pharmaco, pro ratione virium succurrendum, non videri rationabile obstaculum.

4. Utrum ista purgatio, non poterit institui per clysmata, quin & ista cum fructu injicienda, ad revelendos & evacuandos vitiosos humores, sed priùs ponderandû, quo in loco illi hæreant, si in ventriculo, & intestinis superioribus, aut viciniâ subsistant, præferrem purgantia per os ingesta, si in intestinis inferioribus & mesenterii regione delitescant, enemata anteponenda existimarem. Hæc mihi respondenda obvenire, ut tuo satisfacerem desiderio, suum cuique liberum, per me, esto iudicium.

EPISTOLA X. Ad Eundem.

**N** animo meo haud levis concitata est admiratio, ob superam responsionem, ad quæstionem, cur Philippus tertio demum die, potionem medicam Alexandro exhibuerit, hunc antiquorum diatritariorum morem fuisse, antè triduum medicamenta non præscribere, cujus Senecæ author Thesalium constitutus, quem Philippus secutus: id repugnat authoritati Galeni nostri, qui lib. 1. Meth. c. 2. tradit: Thesalium vixissè Romæ, sub Neronis regimine, qui aliquot seculis post Alexandrum, potitus est imperio, ita & Philippus ipsi coævus, ut aliquot cente-

nis annis, Thesalium præcesserit, nihil igitur de istâ sectâ illi cognitum, nec triduanâ inedia Alexandro excarnificato, qualccunque tandem medicamentum porrexerit. Mihi rationabilius videtur, cum Alexander gravioribus symptomatis convulsorii correptus, ut de vitâ periclitari iudicatus, Philippum sano consilio, medelam distulisse, interveniens tempori & commodiori occasione, dum ille recuperavit vires corporis & reinissio symptomatum observata, interea in reficiendis viribus per selectam dietam, & corroborantia remedia occupatum, & tertio die potionem purgantem obtulisse,

tulisse, ad præcavendam recidivam, subtractis vitiosis humoribus, qui alias relictis, fomitem morbo subministrare & paroxysmi recursum, facile promovere potuissent. Cum illic ab acceptâ portione verenda symptomata secuta, lipothymia, vox intercepta, & spiritus coarctatus, indubium, purgatoriam fuisse. Si bezoartica, non tam subito, sed aliquantò post intervallo, illa molestia demum emerisset, cum illo ævo benigniora pharmaca, qualia nostraria, ignota, conjectura haud vana, ex validiorum classe deprompta, ex in tantam angustiam stomachicam concitatam. Speculandum committitur, cum Alexandro potio exhibita, sive laxativa, sive bezoartica, recuperatis corporis viribus, & mente ad se reversâ, an non æquè restitutus, si conveniente victus ratione & aliis mediis Naturam corroborantibus Philippus illi suppetias tulisset, cum à portione illâ in deteriorem delapsus statum. Complures passim Medici, quidam etiam ex nostratum ordine, multum seduli ac negotiosi, in febribus præsertim continuis curandis, ubi ægi jam in vado constituti, & morbus in declinatione, purgando & clysterisando procedunt, ut si beneficio Naturæ jam victicis, emergant incolumes, ipsis salus assignanda, tum committentes fallaciam non causâ, sibi attribuentes restitutionis effectum, qui roboti Naturæ ascribendus. Fortassis & Philippus usus hoc astu fuit, ut potionem illam exhibendam protraxerit, dum Rex recollectis viribus, de præhensus in meliori statu, & si plenariè convalesceret, ipse velut hospitiator celebrandus, immortalem sui nominis famam ac gloriam, posteritati relinqueret, in historiarum monumentis. Plutarchus refert in vitâ Alexandri, cæteros Medicos, cum animadvertissent, morbum funestum, metuentes Macedonum obtrectationem, si cura ex voto non succederet, suam operam detrectasse, Philippum autem, etsi viderit spem salutis in præcipiti, maluisse cum Alexandro in discrimine constituto, unâ discrimen subire, & cum periculo medicamentum experiri, quàm ipsum desolatum relinquere. In nuperâ meâ consignatum, Fortunam audacibus non rarò esse adminiculo, eos ad culmen laudis & honoris evahendo: Idem obtigit Philippo, rem ambiguam aggredienti, ut feliciter cesserit, ex in Fortunatus de prædicandus: Sin verò à portione haustâ, è vivis sublatus, prout consequentia graviora symptomata arguebant, tum Philippus æquè, si non de vitâ, ad minus de famâ & existimatione periclitatus fuisset, cum Parmenio Alexandrum, ante sumptionem medicamenti dehortatus, ne fideret Philippo à Dario millenis talentis corrupto, ad ipsum è medio

medio tollendum. Si Alexander, ab-  
 sorptâ illâ potionē, mortem oppet-  
 tuisset, quantas in angustias Philip-  
 pus seipsum præcipitasset & opere  
 ipso confirmasset, Parmenionis insi-  
 mulationem, de veneno oblato, haud  
 vanam, aut frivolum. Sed Fortuna,  
 vel dispositio ab Alto, utriusque  
 sospitatrix censenda. Hæc cum  
 saltem in finem exarare libuit, pro  
 opere velut supererogatorio, ad  
 ponderandum, si cum tribus meis  
 prioribus responsoriis conferantur,  
 utrum exin non potior captanda  
 conjectura, pro haustu laxante,  
 quam corroborante; absconum ab  
 ullo confortante, confestim ab inge-  
 stione, tam funesta concitari sym-  
 promata, indigna illa titulo corro-  
 borantium, vires non rescipientium,  
 sed solventium, & pœnè in cym-  
 bam Charontis præcipitantium. Sed  
 manum de tabulâ.

## EPISTOLA XI. Ad eundem.

**Q**uemadmodum in mari  
 unda trudit ac impellit  
 undam, haud secus, ex  
 uno dubio, emergunt  
 plura diluenda. Cum  
 animadvertam istam conversatio-  
 nem literariam tibi acceptam, ina-  
 micum sit recusare, ut texturam te-  
 læ pridem captæ continuare, æqui-  
 tatis censeam. Haud ignotum mihi,  
 ex ordine Medicorum duos præci-  
 puos fuisse Thessalos, quorum alter,  
 filius Hippocratis, qui virtutum pa-  
 ternarum æmulus, honorificam sui  
 nominis, apud posteros, reliquit me-  
 moriam, is aliquot seculis Philip-  
 pum præcessit, & neutiquam author  
 diatritariorum sectæ constituendus:  
 sed alter ille Thessalus famosus, qui  
 Romæ sub Neronis imperio, vixit,  
 & aliquot centenis annis posterior  
 Philippo, is teste Galeno, l. 1. Meth,

c. 2. ad Neronem literas misit, jacti-  
 tans, se novam sectam condidisse,  
 quæ sola sit vera, omnes alios Me-  
 dicos despiciens, ne Hippocrati par-  
 cens, quin ejus præcepta velut no-  
 xia, traducere haud sit verecunda-  
 tus, adversus istum impudentis. Sy-  
 cophantam Galenus calamum strin-  
 xit, diatritariorum Coryphæum.  
 Ergo Philippus aliquot seculis prior,  
 ex illo nihil subsidii capere potuit,  
 cum ejus phantasmata, de triduanâ  
 inediâ, tum incognita, exin haud ve-  
 risimile, Alexandrum à Philippo tri-  
 duanâ abstinentiâ fuisse excarnifica-  
 tum, aut eo sine curam procrastina-  
 tam: sed cum Græci ab Ægyptiis,  
 medicinam acceperint, & Mercu-  
 rialis libr. variarum leet. referat, Æ-  
 gyptios Medicos in principio mor-  
 borum, purgantia vitasse, cum &  
 Aristoteles lib. 3. Polit. tradat, Ægy-  
 ptios

Qq 2.

ptios